



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 127. An ergo etiam invalidum sit Matrimonium ex errore servilis conditionis contractum in iis casibus, dum per ipsum Matrimonium servus evadit Liber.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

d. 18. n. 2. Laym. n. 2. Castrop. n. 5. Gutt. c. 89. n. 6. Idem est, seu non valet matrimonium, dum error qualitatis infert errorem circa substantiam ipsam seu errorem personæ, uti contingit, dum per qualitatis aut qualitatum non communium (quales sunt divitiarum, nobilitas) sed singularium individuacionem personarum denotantium expressionem seu narrationem personarum aliàs ignota describitur seu sit cognita. V. G. si vis contrahere cum primogenita Petri, & offertur tibi Caja, quæ non est primogenita Petri, sed fingit se illam esse, aut persuaderis aliunde illam esse primogenitam, contractum cum ea matrimonium nullum est; quia hic iterum deficit consensus, seu quia non habes consensum contrahendi cum hac persona. Laym. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* Secus tamen fore, si dicta Caja tibi prius nota de visu designaretur à te ad matrimonium, quia putas esse primogenitam, cum tamen non sit, nisi fortè haberes actualem intentionem illam non ducendi, si non esset primogenita, ait Laym. *l. c.*

*Quæst. 126. An igitur etiam error circa servilis conditionis qualitatem non dirimat matrimonium.*

1. **R**esp. primò: Error servilis conditionis, licet versetur tantum circa qualitatem personarum, ut dum liber cum ancilla vel serva, vel libera cum servo contrahit, ignorans illam conditionem, reddit matrimonium nullum; irritatio hæc habetur *c. 2. 3. & ult. de conjug. servor.* Ratio autem hujus irritationis ab AA. reddi solet ex D. Thom. communiter recepto *in 4. d. 36. q. unic. a. 1.* nimirum quòd æquum sit, maximè conducentis, & tantum non necessarium ad finem generis & mutuoarum obsequiorum præstationem &c. ut in hoc contractu matrimoniali servetur æqualitas, seu conjuges conferant inter se æqualem corporum suorum potestatem, quæ æqualitas in dicto conjugio servorum cum liberis servari nequit; cum liber plenam sui corporis potestatem det servo, obligetque se ad individuum vitæ societatem, quam tamen servus libero concedere & præstare nequit; siquidem in potestate domini constitutus ejusque obsequiis & negotiis diu nocturne occupari potest, in terras longinquas mitti quin & vendi, non obstant matrimonii vinculo, ut constat ex *c. 1. de conjug. servor.* adeoque impeditur frequentissimè reddere debitum conjugii, ejus obsequiis assistere, vacare educationi prolium &c. Unde etiam desumitur ratio, cur potius irritatur matrimonium ex errore hujus qualitatis, quam ex errore aliarum qualitatum.

2. Extenditur responsio, vel potius ex ea deducitur, quòd liber detecto errore seu servitute, autoritate propria recedere possit, si absit scandalum; et si regulariter, dum matrimonium, publicè contractum, & de eo constat, addit scandalum, adeoque separatio fieri non debeat sine judicio Ecclesiæ. Gutt. *c. 90. n. 11.* Ponc. *l. 9. c. 43. in fine.* Quin etiam servus possit, renuente etiam libero, recedere; cum ex parte utriusque contractus sit nullus; nisi fortè ex tali contractu & deceptione liber passus damnum, cui aliter servus satisfacere nequit, quam matrimonium ratificando. Castrop. *cit. d. 4. p. 5. §. 1. n. 4.*

3. Limitatur è contra responsio à Sanch. *l. 7. d. 19. n. 4.* Coninck. *d. 3. 1. du. 2. n. 26.* ut error conditionis servilis non reddat matrimonium irritum, si mancipio promissà à domino libertas intra breve tempus, V. G. sex menses; eò quòd videantur cessare rationes, ob quas aliàs tale matrimonium irritatur, & moraliter reputari debeat matrimonium cum li-

bera. Contrarium tamen probabilius censent Ponc. *l. 7. c. 43. n. 1.* Gutt. *c. 90. n. 6.* quibus favere videtur Castrop. *l. c. p. 5. §. 1. n. 4.* eò quòd textus absolute irritent matrimonium liberi cum mancipio ignorata servitute ob deceptionem, quam in eo patitur liber, & involuntarium, quod tali contractui inesse præsumitur. Illud tamen certum, ut Castrop. esse dicunt hi AA. contra Sotum Ledesin. &c. valere matrimonium, si contrahatur cum ea, cui concessa libertas pro aliquo determinato tempore; quia absolute contrahitur cum libera; præterquam quòd libertas concessa pro quocunque tempore est perpetua. *l. libertas. junct. à l. ideo statim. de manum. testam.* contrarium tamen expressè habet Pirh. *ad tit. de conjug. servor.* citans Sanch. *d. 19. n. 2.* nimirum esse tale matrimonium nullum, dum libertas concessa ad biennium, ut eo elapsò, rursus servus in pristinam servitutem redigatur; eò quòd talis maneat revera servilis conditionis, & quidquid interea agit, agat ut servus. Illud etiam certum juxta *cit. c. 2. de conjug. serv.* matrimonium tale invalidum ex errore servilis conditionis fieri validum, si liber post scientiam servitutis cognoscat carnaliter servam. Verum, ut Pirh. *l. c. n. 5.* cum Barbol. *in cit. c. 2.* & aliis apud illum quia post Trid. *sess. 24. de mat. c. 1.* non sufficit ad matrimonium consensus præsumptus, qualis habetur per subsequentem copulam, nisi post sublatum impedimentum novus consensus coram Parocho & testibus interveniat, non habebit locum quòd ad hanc partem *cit. c. 2.* in locis, in quibus Trid. receptum; adeoque talis postquam cognito errore eam cognovit, adhuc compelli non poterit, ut eam tanquam uxorem maritali affectu tractet.

*Quæst. 127. An ergo etiam invalidum sit matrimonium ex errore servilis conditionis contractum in iis casibus, dum per ipsum matrimonium servus evadit liber.*

**R**esp. In hoc non convenite AA. negant Sanch. *l. 7. d. 20. n. 14.* & alii cum Gl. *inc. fin. de conjug. servor.* eò quòd expressè approbetur in *Auth. de nupt. coll. 4.* ubi: *Non erit justum tale non constare conjugium;* & tale conjugium dici non possit liberi cum servo; cum eo ipso destinatum esse servus, & ea servitus, quæ per matrimonium tollitur ejus bonis obesse non possit, quæ est sola ratio, cur conjugia liberi cum serva irritentur. Affirmant è contra Gutt. *c. 91. n. 16.* Covar. *in 4. decret. p. 2. c. 7. n. 1.* Castrop. *l. c. §. 3. n. 5.* eò quòd Jus canonicum absolute matrimonium liberi cum serva servitutis ignari irritet ob defectum voluntarii, quem liber habere censetur; in præsentem verò casu verè sit matrimonium liberi cum serva; cum servus, ut libertatem consequatur, debeat prius contrahere, adeoque hic contractus sit stante formaliter servitute. Atque ita tota ratio Castropalæ consistit in hoc, quòd matrimonium tale sit naturè prius libertate, & pro hoc priori sit contractus liberi cum mancipio. Ad textum verò *Auth.* respondet Castrop. in eo decisum non esse, valere tale matrimonium, sed justum esse, ut valeat, nimirum deinceps, dum postmodum consenserint; quia tunc sublato impedimento per ipsum matrimonium justum est, illud constare. Ad illud, quòd non obstat matrimonium tale illius bonis, dicit, non irritari ex eo matrimonia contracta ex errore servitutis, quòd aliquantè obstant bonis illius; aliàs enim, ut dictum, deberent irritari contracta cum scientia servitutis, sed ob deceptionem libero factam & involuntarium illius consensum, quorum utrumque in præ-

præsentem casu reperitur in tali contractu, & talis contracturus non fuisset, si veritatem scivisset. Sed quid, si scivisset servitutem per ipsum matrimonium tolli, quid eum deteruisset ab eo, nisi forte turpe existimasset etiam illum ducere, quæ antea antea serva fuisset.

*Quest. 128. Quo iure error conditionis irritet matrimonium.*

1. **R** Esp. In hoc quoque non convenire AA. Juri naturali, vel saltem juri gentium adscribunt Sylv. v. matrimonium. 6. q. 1. Angles. in florib. 4. sentent. p. 1. super dist. 36. quest. de error. condit. n. 1. du. 1. apud Laym. l. c. n. 3. qui & ipse in hanc sententiam inclinare videtur, & probabilem satis dicunt Sanch. n. 15. Castrop. n. 2. idque (quod spectate videtur jus naturale) ob rationes adductas; nimirum quia status servilis repugnat bonis & fini matrimonii, secus, ac contingit in leprosis, bannitis, relegatis, qui etsi & ipsi liberè nequeant vacare usui matrimonii, id tamen contingat per accidens. Ad hæc, sacris canonibus videatur hoc impedimentum non de novo inductum, sed quod antea receptum erat, approbatum sit, ita ut, quod ait Laym. non sine verisimilitudine dici possit, errore illo servilis conditionis jure gentium infirmari matrimonium.

2. **E** contra quamvis juri naturali valde conforme sit, ut talis error dirimat matrimonium, non esse tamen hoc jure irritum, sed solo jure ecclesiastico, quamvis antiquissimo irritatum, sentiunt Sanch. l. c. n. 16. Gutt. l. c. n. 1. Con. du. 2. concl. 1. Castrop. n. 3. Pirh. l. c. n. 8. quam sententiam inter AA. magis receptam, ait Laym. Ratio hujus sententiæ est, quod quamvis contrahens ex errore servitutis aliquo modo & secundum quid involuntariè contrahat, in quantum si conditionem servilem præciseret, non contraheret (uti etiam accidit in errore circa qualitates alias) simpliciter tamen & absolutè talis contractus sit voluntarius; quia simpliciter in hanc determinatam personam consentit, adeoque est verus & validus contractus, spectato solo jure naturæ. Ad hæc ex jure naturæ provenire nequit dicta irritatio, quia talis error obstat bonis matrimonii; cum alias etiam servitus non ignorata redderet matrimonium irritum; neque quia per deceptionem illam facta injuria homini libero; cum deceptio illa non sit facta in substantia contractus, quæ consistit in mutua traditione corporum ad usum conjugalem, quæ etiam in contractu liberi cum servo reperitur, licet traditio illa facta à servo non sit ita plena ac expedita, sicut facta à libero; non enim exinde destruitur essentia matrimonii, ut quæ solum requirit, ut conjux alteri reddat debitum, individuum cohabitaret &c. quoties legitime impeditus non fuerit, uti hæc patent in matrimonio sani cum leprosa; quod tamen simile, ait Laym. juxta dicta ab eo ante, non tenere; cum servitus per se sit status quidam stabilem obligationem continens, quæ obligationi matrimoniali suapte natura non parum detrahit. Qualem obligationem stabilem usui matrimoniali contrariam, quia non continent alia qualitates, sed tantum per accidens, cum usum non impediunt, errorque circa illas sit varius & multiplex, non fuerit expediens, passim matrimonium ex eo errore irritari. Ex quibus jam etiam infertur juxta priorem sententiam, ut rectè Laym. dicendum matrimonium inter infideles contractum ex errore conditionis servilis irritum esse, & posse deceptum, dum errorem cognovit, ad alias nuptias transire. Contrarium verò dicendum, si solo jure ecclesiastico irritarentur

illa matrimonia, utpote cui infideles non subjeti. Pirh. l. c. n. 9.

*Quest. 129. Cui incumbat onus probandi conditionem servilem cognitam esse vel ignoratam, ut matrimonium contractum inter servum & liberam validum vel irritum declaretur.*

**R** Esp. Probabilius videri id onus incumbere mancipio. Sanch. L. 7. d. 19. n. 8. Gutt. c. 90. n. 14. Castrop. n. 8. Pirh. l. c. n. 13. cum Abb. in c. fin. de conjug. servor. n. 6. Jo. And. ibid. n. 3. Butrio. n. 6. Et contra Henriq. L. 11. de mat. c. 10. n. 5. Ratio est, quod cum jure ipso irritum sit tale matrimonium ob inæqualitatem contrahentium, ut dictum, allegans hanc inæqualitatem, habeat suam intentionem de nullitate matrimonii in ipsa lege fundatam, à quo dimoveri nequit, nisi probetur, liberè & cum scientia dictæ inæqualitatis contraxisse. Ad hæc, scientia alieni facti nunquam præsumitur, sed potius ignorantia. Reg. præsumitur ignorantia. de reg. jur. in 6. L. varius ff. de probat. Mascard. concl. 1214. n. 5. adeoque cum præsumptio ignorantie servitutis sit pro libero (nisi forte tempore contractus fuisset in loco, in quo servitus conjugis omnibus nota) mancipio incumbit probatio scientiæ; ita ferè Castrop. Sed neque semper alleganti ignorantiam incumbit probatio, ut Masc. de prob. vol. 2. concl. 279. sed tantum, ubi illa ignorantia non præsumitur.

*Quest. 130. An cessante hoc errore servilis conditionis, si liber sciens servam cum ea contrahat; vel etiam dum liber contrahit cum libera, quam putat esse servam, valeat matrimonium.*

1. **R** Esp. Ad primum: esse hoc matrimonium validum non minus, quam cum servus cum serva contrahit; quia cessat deceptio facta libero, & præsumptio consensûs involuntarii, ob quæ matrimonium liberi cum serva irritatur, Laym. n. 3. Castrop. n. 9. Sanch. L. 7. d. 19. n. 13. juxta c. 2. de conjug. servor. Unde si qui textus contrarium habere videantur, intelligendi, supposito errore, seu ignorantia dictæ conditionis; quin & addit Castrop. cum Sanch. n. 14. & Gutt. n. 24. nullum committi peccatum contrahendo cum serva; quia id nullibi prohibetur, tamen si fiat irregularis arg. textus in c. si quis viduam. dist. 34.

2. **R** Esp. Ad secundum: pari modo valere matrimonium in eo casu; error siquidem conditionis servilis tunc tantum vitiat matrimonium, quando per illum redditur deterior conditio contrahentis, uti fit, cum quis contrahit cum serva putans esse liberam; non verò dum contrahit cum libera, quam putat esse servam; unde etiam, dum servus contrahit cum ancilla, quam putat esse liberam, valet matrimonium; cum conditio servi contrahentis non fiat per hoc deterior; quia contrahit cum aequali seu suæ conditionis; ita Pirh. l. c. n. 6. cum Sanch. l. c. n. 23. & aliis.

De cæteris impedimentis matrimonii dirimentibus agit in sequentibus specialibus titulis hujus Lib. 4. ad quos quoque commodius referuntur impedimenta dirimentia cætera, quæ propriis carent titulis, & hic omissa, puta impedimentum atatis ad tit. 2. impedimentum criminis ad tit. 7. impedimentum ligaminis ad tit. 21.

TITU-